



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Die XIX. Junii. In Festo S. Julianæ De Falconeriis Virg.**

**[S.l.], [ca. 1770]**

Lectio VI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62798)

prima religiosum Mantellatarum habitum,  
ut dicunt, sumpsit. *ꝛ.* Propter veritatem.

*Lectio V.*

**J**ulianæ exemplum secutæ sunt plurimæ  
ex nobilioribus Familiis fœminæ, ac Ma-  
ter ipsa Filiæ sese religiosè instituendam de-  
dit, ita ut, aucto paulatim numero, Ordinem  
Mantellatarum instituerit, ac illi piè vivendi  
leges summâ prudentiâ, ac sanctitate tradi-  
derit. Ejus virtutes cùm optimè perspectas  
Divus Benitus haberet, morti proximus,  
nulli meliùs, quàm Julianæ, non fœminas  
tantùm, sed & totum Servorum Ordinem,  
cujus Propagator, & Moderator extiterat,  
commendatum voluit. Verùm ipsa demissè semper de  
se cogitabat, & cùm cæterarum esset Magistra, in re quâ-  
que domesticâ, licet vili, Sororibus famulabatur. Assi-  
duitate orandi integros insumebat dies, in ecstasi sæ-  
pissimè rapta, & si reliquum, in sedandis Civium distri-  
ctis, criminosis à via iniquitatis retrahendis, ac inservi-  
endis impendebat ægrotis, quorum quandòque saniem  
ex ulceribus manantem admoto ore lambens, eos sani-  
tati restituebat. Corpus suum flagris, nodosis funiculis,  
ferreis cingulis, vigiliis, humi nudæ cubando, terere so-  
lita fuit. Parcissimè cibo, & hoc vili quatuor hebdoma-  
dæ diebus, & reliquis duobus solo Angelorum pane  
contenta, excepto die Sabbati, quo pane solo, & aquâ  
nutriebatur. *ꝛ.* Dilexisti justitiam.

*Lectio VI,*

**D**urâ hujusmodi vivendi ratione in stomachi mor-  
bum incidit, quo ingravescente, cùm septuagesimi-  
mum

mum ætatis annum ageret, ad extremum vitæ spatium redacta est. Diurnæ valetudinis incommoda hilari vultu. constantique animo pertulit: de uno tantum conqueri audita est, quod, cum cibum capere, ac retinere nullo modo posset, ab Eucharistica mensa, ob Sacramenti reverentiam arceretur. Verum his in angustiis constituta, Sacerdotem rogavit, ut allatum divinum Panem, quem ore sumere nequibat, pectori saltem exterius admoveret. Precibus illius morem gessit Sacerdos; & mirum! Eodem temporis momento, divinus Panis disparuit, & Juliana sereno, ac ridenti vultu expiravit. Res supra fidem tamdiu fuit, donec virgineum de more curaretur corpus; inventa enim est circa sinistrum pectoris latus carni veluti sigillo impressa forma Hostiæ, quæ Christi crucifixi effigiem repræsentabat. Hujus prodigii fama, cæterorumque miraculorum, non Florentiæ tantum, sed totius Christiani Orbis venerationem illi conciliavit, ac per quatuor propè integra sæcula adeò aucta est, ut tandem Benedictus Papa decimus tertius in ejus celebritate Officium proprium recitari ab universo ordine Beatæ Mariæ Virginis Servorum jufferit. Clemens verò duodecimus munificentissimus ejusdem Ordinis Protector novis indies miraculis coruscantem, sanctarum Virginum Catalogo adscripsit. *¶. Afferentur Regi.*

IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Gregorii Papæ in Evang. Simile erit regnum cælorum decem Virginibus.*

*Nona Lect. SS. Gervasii, & Protasii, & Commem. ad Laudes.*

*Missæ de Comm. Virginum. Dilexisti &c. In secundis Vesperis, Commemoratio S. Silverii Papæ & Martyris.*